

4)

REM,,

PARTES DISTRIBUTA.

ies convertuntur placidos,  
ori sermones conferunt,  
ngunt, contremiscunt, lacrimant,  
missis suis indulgentiam.  
um, pingitur per aërem  
cidum divini foederis,  
ditur dulcis vox in auribus:  
i corda conquirere,  
ra, debellare Satanam,  
rtus animas deducere.... ».  
m magnum adversarium,  
ias grandi pro victoria?  
gratiae per quam maximae,  
ictioriarum sociae,  
armis, potens consilio,  
erito cunctis Auxilium!

## SCENA VI.

ANNES et RECTOR.

sacerdos ille tot virtutibus,  
s in urbe, delicium iuvenum?  
et laetus quod Collegium vi-  
[sitem,  
merito praeses iure tamdui!  
m dicens? Furum custodiam,  
m carcerem, latronum potius!  
ot sunt taedium, labor paren-  
[tibus,  
turpes iam flagitiis,  
atores pessumi et sicarii,  
pueri, senes sed vitiis:  
Collegium nostra sub custo-  
[dia!  
numerum).


I. B. FRANCESIA.

festivus.

PHUS FORNARI, Sponsor.


PIIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;  
march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$ ; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM  
FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ☺☺☺ ☺☺☺ ☺☺☺ ☺☺☺ ☺☺☺

## DE IOANNE CHRYSOSTOMO

Alexandrina ecclesia Ioannis nomini  
in dies augescenti contradicit.<sup>1</sup>

Anno quadragesimo decimo primo,  
Synesius, Episcopus Ptolemaidos, de Ioanne  
Chrysostomo pauca ac timide locutus est;  
ingruebat enim procella quam Theophilus,  
alexandrinus episcopus, excitaverat;  
ac tanta viri huius auctoritas fuit, ut vel  
audientes ei contradicere, etiam in re  
iniusta, minime conati sint; si vero conati  
essent, id caute, ut Synesius, facerent;  
lento admodum pede Ioannis auctoritas  
asseritur!

Eodem anno Alexander, episcopus Basiliopolenos in Bithynia, ad Theophilum scribens mentionem facit de Ioanne, atque aperte declarat: « Necesse est ut debito honore defunctorum memoriam retineamus; omnis enim indignatio una cum vita quiescere debet ». Haec omnia magni momenti sunt equidem habenda, recogitantes quae in Ioannem, sive viventem, sive vita functum, adverso animo intulerat, ut supra dictum est, Theophilus ille, qui totius pugnae in Ioannem fuit auctor.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Februarii, pag. 20.

Sed, anno insequenti, tandem moritur, eumque Alexander excepit, qui Ioanne amico usus fuerat: sine ulla mora, eius nomen in Diptycis inseruit, etiam Romanae Sedis auctoritati obsecutus, quae per Innocentium Pontificem iterum iterumque iusserat Ioannis nomen inscribi.<sup>1</sup> Exemplo dato, omnes qui taciti ac prudentes sese retinuerant, e tenebris in lucem prodierunt, primusque, ut a Socrate relatum est, Atticus, Constantinopolitanus Episcopus.<sup>2</sup>

Cyrillus, et Alexandrinus episcopus et Theophili nepos, novis rebus et animorum in Ioannem consensione commotus, sensit sibi quoque honore debito virum illum esse prosequendum qui patruae animadversio- nis victima occubuit. Nomen Ioannis non constat inscriptum esse in Diptycis ante annum quadragesimum decimum secundum, neque a Ierosolimitano Patriar- cha, neque a Constantinopolitano, neque ab Alexandrino: ex epistola vero Bonifacii I ad Rufum<sup>3</sup> compertum habemus, anno quadragesimo decimo septimo, nomen Ioannis a tribus Patriarchis in Diptycis inscriptum fuisse. Exstant ad rem etiam epistolae, quae Atticum inter et Cyrilum

<sup>1</sup> Epist. (66) ad Theoph., P. Gr., 66, 1408-9.

<sup>2</sup> SOCR., Hist. Eccl., VII, 25.

<sup>3</sup> BONIFACII I, Ep. (15) ad Ruf., P. L., 20, 783.

praesumuntur, sed de iis valde est dubitandum, nec eorum auctoritati subscrispsit vir ille egregius Siching.<sup>1</sup> Quo tempore autem illa inscriptio facta sit, minus nostra interest; una tantum res magni ponderis adnotanda, tandem Cyrillum ipsum, honore, quo par erat, Chrysostomum prosecutum fuisse. Quinimmo, Cyrillus idem, hoc iter ingressus, reliquos cursu superavit, eiusque ope ac studio breviter Ioannes inter doctores relatus est, nec a negotio aliena utilitas fuit. Favor enim et gratia regiae aulae a Cyrillo summopere expetebatur eo tempore, quo Nestorius ex Antiochena ad Constantinopolitanam sedem translatus est; hoc negotio visum est Cyrillo dignitatem Alexandrinae sedis minui, unde non paucae controversiae et querimoniae sunt obortae. Cyrillus vero, cuius ingenium non tantum disciplinis, sed etiam rebus civilibus quam maxime callebat, facile sensit prudentis hominis non esse, a se animum avertere eorum, qui in regia aula, id est, totius cleri, magna auctoritate gaudebant. Qua de re, vafer Cyrillus sororibus Imperatoris tractatum *De recta Fide* inscribens, ad Ioannis auctoritatem confugit eumque eodem honore quo Athanasium et Theophilum Alexandrinos, Atticum, Antiochum et Severianum Antiochenos amplissime cumulavit.

Fere eodem tempore mentio fit de quadam *supplicatione* ab archimandrita Basilio in Nestorium prolata,<sup>2</sup> in qua loquitur de Ioanne; sed non abest suspicio quin supplicatio ipsa a Cyrillo fuerit exarata. Praeterea Cyrillus in Epistola ad clerum Alexandrinum contra Nestorium, his verbis utitur: « Quid Nestorius cogitat? Num se eloquentiorem Ioanne, ingenioque acriorem Attico facit?<sup>3</sup> ». Sed Nestorius occa-

sionem nactus, in oratione habita Idibus Decembribus anno quadringentesimo et trigesimo, Cyrillum compellans, male sus adnotavit: *Silentio praetereo Ioannem, cuius cineres invitius veneraris.*<sup>4</sup>

Re vera fateri cogimus benevolentiam Cyrilli in Ioannem non integrum, non ingenuam fuisse, sed tantum utilitatem ac temporum opportunitatem respexisse. Quum enim ei persuasum fuit suam in Ioannem admirationem nullius ponderis esse ut ea privilegia consequeretur, quae Alexandrinae sedi utilitati essent, personam depositum ac de Ioanne prorsus tacuit. Neque in *Apologetico*, neque in *Epistola ad Ioannem Antiochenum*, neque in *Epistola ad Acacium*, Ioannis auctoritate usus est; eiusque animadversio eo pervenit, ut in Ephesina Synodo oecumenica quae, auspice Cyrillo, anno quadringentesimo primo et trigesimo habita est, de Ioanne eiusque auctoritate prorsus sileatur.

Sed, *comprimitur nunquam, premitur tantummodo verum!* Ioannis auctoritas apud Alexandrinos, lento, sed seculo pede in dies crevit, defunctoque Cyrillo, ab omnibus libenter excepta longe lateque invaserit. Lucta vero inita a Theophilo, a Cyrillo quoque contra Ioannem eumque beatum non intermissa, utinam nunquam fuisse! Ea enim est, quae mentem nostram vehementer exagit; sed talibus in adjunctis recolenda sunt verba beati Ambrosii:<sup>5</sup> « Discamus ergo et sanctorum invidiam... et cognoscamus, illos non naturae praestantioris fuisse... nec vitia nescisse... Quod si invidia etiam sanctos adussit, quanto magis cavendum est, ne inflammet peccatores! ».

(*Sequitur.*)

ALEXANDER AURELI,  
Pont. Sem. Rom. Professor.

<sup>1</sup> De Onschuld van den hl. Cyrill. v. Alexandria: De Katholick, t. 129 (1906), pp. 454-64.

<sup>2</sup> MANSI, IV, 1101, D.

<sup>3</sup> MANSI, V, 722.

<sup>1</sup> FR. LOOPS, Nestoriana, n. XVIII, p. 300, Halle.

1905.

<sup>2</sup> De S. Joseph, c. I.

## NOVAE RES, NOVA VERBA

IACOBUS TASSET, JOSEPHO FORNARI *Almae Romae* moderatori s.

Terrenae civitatis conversa quum tempora referant exitium, exitumque Israel - « *Exite de illa, popule meus* », - aurea ex Aegypto, relicta ceteris, Carissime, auferenda sunt vasa. Nam perierte et olim Chaldaeorum, Magorum, Druidarum, Etruscorumque omnium disciplinae, combustis cum Tullo rege commentariis, quibus elicit Numa Iovem: id est *aetherem*, quo populum hunc videmus illustrem, vehementem, internuntiantem.

Perversa peribunt ergo haec nostrae aetatis commoda atque instituta, quae technis diabolicis animas servituti subiiciunt machinarum ac Daedali rationibus operibus.

Haec mihi assidue diuque reputanti, operae pretium visum est, si artium disciplinarumque omnium lustrationem purgationemque, Latinitatis flumine puro, electis ac conceptis verbis inirent, hisce temporibus, interpretes viam Pianam secuti; quoniam Pius rationem omnem, cantus ac modos, postremo ius, in Christi veritate instauravit, et Ephemeridem hanc nostram Latinam magnopere commendans, Apostolica benedictione consecravit.

Itaque animum in scripturam diurnam ultraque Oceani ripa advertens - incipiunt venum dari hoc quoque oppido Gallico Americanae ephemerides - frusta duo, speciminis causa, tibi misi, ex *La Croix* et *New York Herald* excerpta: de *bello sub aequore gesto*, et alterum de *pondere navium in mari amissarum*.<sup>1</sup>

<sup>1</sup> Cfr. num. sup., pag. 77 et seq.

Iuvet (mea quidem sententia) id spicilegium cupientes ea, quae gentium commentariis assidue legunt, scire conceptis quibus demum verbis Latine dicant. Tum scriptores diurnos urbi et orbi nostro conciliabit Praeconio. Oportet enim ut intelligent, id linguam Latinam esse temporibus quoque, quod solum nunc locis aetherea est significatio.

Verborum notorum novas novis in rebus videbis iuncturas, ut spero legitimas. Nam sicut Gallice eadem mente qua prius *ver de terre*, posterius *pomme de terre*, et ad instar *chemin de croix*, *chemin de ronde*, non secus *chemin de fer*, ita Latine dicemus *retiariam* *navem* (*châluti-ier*) non minus recte quam *retiarium gladiatorem*; *tragulariam* (*dragueur*) a *tragula* (*drague*); *tractoriam* (sic Smith's *Smaller English-Latin Dictionary* sub vocabulo *tug*; *remorqueur*); *rorariam* *balistam* vel *machinam* (*machine gun*, *mitailleuse*); *currus armatos* (*armoured cars*, *chars d'assauts*, *tanks*).

Alia inventu sunt multo difficiliora, et alia silentio obruenda penitus ac delenda, quum plurima physici non minus foeda locutionibus, quam ipsas artes suas moribus, invenire.

Spero autem fore ut, moderante artes Pontifice Maximo, portenta illa terreni ingenii, quae primo superioris saeculi quadrante in usu non erant, secundo huius iam non fuerint amplius.

Vale, et salvus sit filius tuus militans.

Dabam Idibus Maiis MDCCCVIII Turnoduro Se nonum.

IACOBUS TASSET.

*Qui mentiri, aut fallere insueverit patrem, aut Audebit, tanto magis audebit ceteros.*

TERENTIUS, Adelph.

## EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano  
anni MCMXVII.

Accepimus, et libenter edimus:

Sedecim carmina ad proximum certamen anni MCMXVIII reservanda fuerunt ut quae iusto serius Amstelodamum essent perlata. Eorum hi sunt tituli:

*Poeta miles.* - *Psalmus quinquagesimus.* - *Egregius victor* (decerat huic carmini schedula nomen continens). - *Ad Marcum epistula.* - *Aranea et nati.* - *In obitum matris dilectissimae.* - *Ruth.* - *In simiae amatores.* - *Expectantes Dei iudicium.* - *Tristia.* - *Iesum puerum Maria quaeritans.* - *Pro pace exoptata.* - *Incursio Hellespontiaca.* - *Saltus caprarium.* - *Fiat pax.* - *Cornix in Capitolio elocuta.*

Ad tempus perlata sunt haec:

*Transactae aetatis memoria.* - *Bruttius.* - *Fatum Austriae.* - *Pax.* - *Diaboli adlocutio.* - *De laude solitudinis.* - *Epistula novi mariti.* - *Frumentum.* - *Duo collegia.* - *Titus Pomponius Atticus.* - *Ultima acroasis.* - *Vacatio militis.* - *Flavi ludus.* - *Antigone.* - *Pollitta.* - *Claudia.* - *Horatius apud Orbilium.* - *Est, est, est.* - *Matris desiderium.* - *Lampyris noctiluca.* - *De Ioanne Dupré.* - *Psittacus et passer.*

Aureus nummus adiudicatus est carmini cui titulus: *Epistula novi mariti*; cui proximum accessit *Pax*. Haec ergo legati impensis in lucem edentur, et praeterea: *Flavi ludus.* - *Bruttius.* - *Antigone.* - *Psittacus et passer.*

Victoris nomen est: HERMANNUS RÖHL. Ceterorum quinque poëtae invitantur ut ante Kalendas Iulias huius anni nomina sua edant iudicibus, ut prelo subiici possint.

Id iam nunc fecerunt: FR. X. REUSS (poeta carminis c. t. *Pax*); AL. GALANTE (poeta carminis c. t. *Flavi ludus*); A. FAVERZANI (poeta carminis c. t. *Antigone*).  
Amstelodami, d. viii m. Aprilis a. MCMXVIII.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE,  
Academiae Regiae Nederlandicae  
Ordinis Litterariorum Praeses.

Clarissimo laboris nostri socio FRANCISCO XAV. REUSS, novum pro meritis honorem adepto, iterum iterumque gratulamur, gratiasque habemus et referimus quod nobis dederit carmen *Pax* inscriptum, per Almae Romae paginas hodie vulgandum (A. R.).

## PAX

Et erit opus iustitiae pax.  
(Is., 32, 17).

*Pacem terra sinit, iamidudum vasta furentum sedes bellorum; pacem populata requirunt arva, Ceres quibus et Liber Pomonaque terga verterunt; pacem cupiunt loca consita silvis, nuper frondosis, quae, caesae nunc et adustae, vix mutilos retinent, fumosa cadavera, trunco. Pacem depositunt, humano foeda cruento, flumina, et Oceanus, cuncto circumfluus orbi, has proferre minas auditus voce frementi: « Vestris, terrigenae, tandem desistite pugnis, « qua saltem mea regna patent; haec nempe carinis permisi placidis, non classibus aere nitroque armatis, non ignivomis rivalibus Aetnae. Nec superas tantum sulcare hostiliter undas ausi vos estis; mea perturbastis et ima viscera navigiis, bellare sub aequore doctis. « Vesta sed, o miseri, (nec enim contemnor inultus) ossa dabunt poenas, pelago tumulanda profundo».*

*Pacem poscit item, mintitando, caerulus aëris, hactenus alitibus vivis penetrabilis, at nunc naves ferre graves iussus, gryphasque fabriles: horrida monstra, sinus queis ignifer, unde fragosa fulmina prossilunt, strages paritura necesse. Dira sed Icariam timeat sibi machina cladem!*

*Pacem suspirant pueri matresque nurusque annosique viri, quorum per tecta senile*

*ac puerile sonat lamentum, femineumque. « Mater, ubi pater est? - singulit trima puella - « cur abiit? quid agit? Redeat, det et oscula natae». Cui frater, duplo senior: « Ne fleveris! - inquit, ensiculo dum fagineo diverberat auras - « Pugnat pro patria genitor, ne mater avusque, « aut egomet vel tu quidquam patiamur ab hoste. « Huc tamen ille brevi victor remeabit, ovansque, « quotquot nunc gemimus, nos amplectetur ovantes». Haec animosus ait puer; at mox, nocte suborta, lacrimulis tumidum tinget cervical amaris.*

*Cura premit gravior pavidam de fratre sororem, de nato matrem, de coniuge milite sponsam. Insomnes vel agunt noctes; vel, si qua soporem hora dedit, somnum phantasmata tetra lassent. Pectore quam trepido pervolvunt Acta diurna atque oculis descripta vorant certamina, longus queis (eheu!) index subiungitur enectorum! Si quando e castris affertur epistola, vel si advolat aërio scytale<sup>1</sup> concredita filo, ut tum corda micant, nunc spe, nunc mota timore! Ut scidulam raptim genitrix tremebunda resignat, dum linguis animumque premunt puerique nurusque! At mater, plagulas perlustrans: « Filius - inquit - « auspicibus Superis, belle se dicit habere.*

*« Aerumnas tamen ille graves, discrimina vitae multa subit, calamo quamquam memorata faceto. « Pro laribus - scribit - fossis castrenis utor, « unde (velim, nolim) vis undique manat aquarum plurima; fitque tenax, figulis optabile, coenum. « Ac nitidos super hosce lares inamabilis hostis, fulmineos inter bombos, chalybea per ora proicit, eructans, immania pondera ferri; evomit et flamas ac plenos peste vapores. « Omne tonat caelum; tellus quassatur, in altas scissa repente scrobes, heu! vasta sepulcra virorum. « Si vivo, tua me, genitrix, oratio sancta praestit incolumem; tua, coniux; vestraque, nati».*

*Saepe tamen nigris circumlita pagina limbis nuntiat, in bello carum cecidisse propinquum, de patria meritum bene, dignum laude perenni. ... Laudis at immemors, pupilli, mater et uxor insolabiliter pullo lugent sub amictu; lugent, teque vovent Diris, Bellona cruenta, defleti quoties vivax succurrit imago, miraque dulcedo vitae communiter actae;*

<sup>1</sup> Tacitus (*in Vita Agricolae*, n. 30) sic de Romanis loquentem inducit Calgacum, ducem Britannorum: « Aut ferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium; atque, ubi solitudinem faciunt, pacem appellant ».

*nocte dieque suas iterat domus orba querelas, frustra dum revocat iam non revocabile tempus!*

*Sed Pacem si terra sinit, si pontus et aëris, si querulo poscunt clamore domestica tecta, qui fit, ut a nostris Optata refugerit oris? Dat responsa sacer, qui multa recondita pandit, Christiadum Codex: Est filia Iustitiae Pax, Ordinis et recti, caeli sanctissima proles. Hanc coluit princeps hominum, dum perstitit insonis. Subditus ille Deo, sibi subdita cuncta videbat: corporeos sensus, naturam denique totam.*

*Omnia tum pacata: leo tigrisque libenti obsequio dextram lambebant regis Adami; hunc volucres cantu, digito crepitante vocatae, hunc agili pisces hilarabant arte natandi. Mors aberat; nec erant morbi, nec bella, nec irae; e terris illaesus homo migrabat ad astra.*

*Sibilat heu! stygius Serpens, et credula coniux volvit in extremam sponsum sobolemque ruinam. Nam merito, qui iussa Dei despicerat, idem sentit et in dominam Mentem consurgere Carnem, hactenus ancillam, bellumque movere dolosum. Foeda voluptatum sitis, auri effrena cupidio, ambitio, fastus, petulantia, frausque furorque protinus invadunt animos, ut noxia quaevis luxuriat subito neglectos planta per hortos.*

*Nascitur hac e stirpe ferox homicida Cañus, humanoque madet tunc primum sanguine tellus. Saecula decurrunt, bellis secunda cruentis; artibus et reliquis ars bellica praestat honore: hanc in Alexandro Babylon, in Caesare Roma adstupet, inque truci decantat Homerus Achille. Pacem si feriunt populi, non aethere lapsam, non quae Iustitiae sit partus et Ordinis aequi, constituant, sed quae victricibus orta sit armis. « Vae victis! » clamant Romana et barbara castra, ac Pacem dicunt Lethaea Silentia mortis, eversas urbes, vacuosque coalentibus agros.<sup>1</sup>*

*Pacem si cupitis genuinam, territa bellis vos, o Regna, feris, a Pacis Principe Christo poscite sidereum; quo nato, caerulus aether carmine personuit: « Superum sit gloria Regi, Pax et terrigenis, bona queis sine fraude voluntas! ».*

<sup>1</sup> Tacitus (*in Vita Agricolae*, n. 30) sic de Romanis loquentem inducit Calgacum, ducem Britannorum: « Aut ferre, trucidare, rapere, falsis nominibus imperium; atque, ubi solitudinem faciunt, pacem appellant ».

## ARCHAEOLOGICAE RES

De sepulcro C. Flavii Hostilii  
quod Belluni exstat.

Si qui, vel rusticandi causa, vel honestarum artium amore ducti, Bellunum veniant, facillime in ea urbis parte, ubi divi Stephani templum, haud longe ab Ardo flumine exstat, sepulcrum romanum ita rerum certaminibus et longa annorum serie squalens conspiciant, ut magnum animis ad humanitatem informati accipiant dolorem. Id enim viridibus lacertis edacibusque nitedulis perfugium et praesidium salutis esse iamdiu consuevit; hiemali vero tempore, dum alluentis Plavis aquae acuto gelu constant, quum muniminis ad immoderatas perfrigidasque tempestates expersit, stat alta nive candidum: et tamen sollempne romanae maiestatis testimonium affert.

Quaerentibus autem quanam causa hac in urbe C. Flavius Hostilius, eques romanus, sibi Domitiaque, Titi filiae, coniugi incomparabili, quem ad modum ex inscriptione ipsa haud gravatim intelligitur, monumentum faciendum curaverit, respondeam Bellunenses quoque, Italiae superioris extremos atque ultimos, hinc atque hinc montibus et iugis circumdatos atque, paene dixerim, clausos, a Romanis, antequam Hannibal, Poenorū dux, in Italiam per Alpes descendisset, cum reliquis Venetis, sicut apud Polybium scriptum legimus, in amicitiam receptos esse.

Cuius rei indicia, praeter sepulcrum de quo nuperrime mentionem feci commentariolumque scripturus sum,<sup>1</sup> commode, bone lector, invenies, si ad inscriptiones,<sup>2</sup>

<sup>1</sup> De argumento scripsi quoque in commentario florentino *Atene e Roma* (an. xxi, n. 229).

<sup>2</sup> Vide, sis, C. I. L., V, 1 et perlege inscriptions praecipuas (2036, 2088, 2040, 2045, 2046, 2047, 2048) quibus romanus apud Bellunenses cultus comprobatur.

millaria, nomina nonnullis locis imposita, nummorum romanorum thecam, a Florio Miario, comite eodemque annalium bellunensium scriptore, municipio dono datam, mentem adhibueris.

Igitur C. Flavii Hostilii sepulcrum studiosorum curae diligentiaeque commendandum sane est. Nam viros rerum bellunensium studio deditos minime latet perobscaram quaestionem esse utrum monumentum ad urbis originem pertineat necne. Quidam enim Suidae suffragantur, qui tradit virum quemdam, quum aprum, omnium circa agrorum vastatorem, interfecisset, tantam et tam singularem ab universo populo, propter adlatum beneficium, benevolentiam sibi conciliavisse, ut quum in urbem ingrederetur, *vir unus* conclamatus sit, ex eaque re *Virunum*, posteaque *Bellunum* dictam esse urbem opinantur.

Non infitiabor eiusmodi fabulam esse, quae lectores necopinos in errorem rapiat, et quod Virunum similiter quodam modo sonat atque Bellunum, et quod in eo sepulcri latere, quod in orientem vergit, operis artifex moderatorque, cuius nulla, quod sciam, est mentio, equitem ingenti apro necem afferentem fingendum curavit. Adde praeterea quod Virunum Noricorum oppidum fuisse Plinius eloquentissimus auctor est.

Antequam vero, ut supra pollicitus sum, ad descriptionem venio, perpaucis explicabo quae de hac re sentio. Quod ad apri imperfecti narrationem spectat, nemo iam dubitare potest quin, si eius rei causa nomen urbi indidissent incolae, hunc quoque titulum cum reliquis Hostilii laudibus, vel in anteriore sepulcri parte, vel alibi inscripturi fuerint.

Inter omnes constat Virunum oppidum trans Alpes fuisse, ambigitur vero ubi proprie vereque fuerit: attamen minime a vero abesse mihi videntur qui in eius loci vicinia urbem positam esse opinantur, quae hodieque *Klagenfurt* germanice ap-

pellatur. Praeterea Plinius, naturali primus in historia, Ptolemaeus et Strabo geographi, Velleius Paterculus, rerum scriptor, barbaros appellatos esse populos trans summas Alpes incolentes testantur. Plinius ipse Bellunum venetae regionis particeps atque decima regione contentum fuisse nos certiores facit; quam opinionem Ptolemaeus, Siganus, Noricus, Apostolus Zeno secuti sunt. Quum igitur tot tantique viri bellunensem populum cis Alpes collacent, quum Virunum trans summas Alpes iuxta romanam notitiam ponendum, numerationem Bellunum cum Viruno habere potest? Unde plane liquet et in errorem lapsos, et perperam rem utrimque interpretatos esse Suidae sectatores.

Igitur monumentum anno MCCCCLXXX post Chr. n., quum turris campanariae, quae apud posticas templi, a divo Stephano nomen ducentis, partes sublime fertur, fundamenta eruerentur, inventum esse narrant. Duae sunt eius facies, anterior et posterior; totidem latera.

Nunc reliquum est ut facies et latera carptim describam.

Praeter inscriptionem facie anteriore, in meridiem vergente, quae, quandoquidem multa nos edocet, praecipua mihi esse videtur, sex continentur figurae. Etenim in utraque parte extrema prostypon est,

C. FL. HOSTILIVS  
PAP. SERTORIANVS  
LAVR. LAV. P. EQ. R. M.  
SIBI ET DOMITIAE  
T. FILIAE SEVERAE  
COIVGI INCOMPARABILI

V. ΓΡΗΓΟΡΙ ΧΑΙΡΕ F.  
ΟΡΕΣΙ ΑΕΙ  
ΜΝΗΜΩΝ

alterum dextera Hostilium, Domitiam laeva alterum effingens. Octagonon, quo inscriptio continetur, genii duo, ornamenti causa positi, cum singulis hastilibus, adia-

cent, pusiones item duo porrectis exadversum manibus suspensum tenere videntur.

Universam faciem posteriorem, in septentriones vergentem, magna venatorum, domum redeuntium, pompa occupat. Magni equidem facienda est, quod ea Hostilii, mula insidentis, altera contineri imago mihi videtur, quae medium, paene dixerim, faciei locum tenet. Servi duo praecedunt, qui, contorum humeris impistorum auxilio usi, retia ingentem aprum, vel, ex Mommsenii sententia, ursum, capitis tenus supereminente, cohibentia portant. Canes venatici duo circumcirca gestiunt, quorum unus allatrat, alter iocose ima mordet baiuli posterioris crura. Servi tres pone veniunt, quorum primus, apud equitem procedens sinistramque manum tollens, quaedam Hostilio dicit; alter interpositus est mulae, qua vehitur eques, alterique cibariis onustae; tertius, extremo in angulo laevo fictus, furculam sinistro humero ferens, subsequitur.

De latere dextero obiter iam diximus, ampliora nunc dicamus. Adulescens, quem Hostilium prima venatoria artis stipendia, ut ita dicam, merentem putaverim, aprum ingentem imminentisque necis causa frendentem, forte in Alpium saltibus nactus, cum eodem vehementer luctatur, atque canis et equi, ex quo pugnat, auxilio nixus, quorum alter, prioribus erectis pedibus, super feram iam iam insiluit, alter laevum eiusdem crus arreptum acerime mordet, venabulumque manu gestans, necem apro allaturus est.

Alterius lateris simile sinistrum latus est. Etenim lacertosus vir, quamquam est aetate provectus, enixe cum cervo, ramosis cornibus decoro, luctatur. Ferae, quae iam iam humi procubuit, flexisque genibus iacet, certam parat necem.

In universum aestimanti opus a probabili artifice confectum esse videtur. Quod si noscere velit bonus lector utrum latus atque utra facies ampliorem laudem, quoad

artificii vim, mereatur, dexterum latus pluris equidem habendum; facies autem posterior procul dubio potior est. Utcumque res est, sepulcrum Hostili Domitiaeque diis manibus sacrum solemne exstat, ut supra memoravimus, romanae maiestatis testimonium.

Senis, mense Maio MCMXVIII.

JOHANNES BELLISSIMA.

### QUINQUAGENARIA SALESIANORUM SOLLEMNIA

Augustae Taurinorum dum dies insignis recolitur, qua quinquaginta ante annis, sollemnibus caeremoniis multisque adstantibus Episcopis, templum Virginis Auxiliatrici dedicatum est, incredibili civium advenarumque frequentia, eodem fere tempore, mira animorum laetitia, innumerorumque adolescentium, quos paterna dilectione coluit, ad altare idem post annos pariter quinquaginta, a quo primum sacra litavit, Paulus Albera accedit, qui salesianae familiae Rector Maximus nunc salutatur, atque alter Ioannis Bosco successor.

Quo facto, aedes illae, quae eum olim puerulum exceperunt, fausto temporum successu, magnarumque rerum accessoribus ampliatae, virum optimum et pienissimum concelebrant, et gaudio gestientes Ei omnia laeta in aevum a Domino auspicantur. Hunc autem, quem honoris gratia atque admirationis suavissime omnes memorant, ego potiori equidem causa salvere iubeo, quem inter electissimos meae disciplinae alumnos carissimum habui, qui ita me virtutibus studiisque devinxit, ut vel ab illo tempore eum semper in oculis ferrem.

Natus est anno millesimo octingentesimo quinto et quadragesimo, piis modestisque parentibus in vico, cui est nomen

*None* in agro Taurinensi. Quem cum primum cognovit praeclarus ille puerorum magister atque patronus Ioannes Bosco, domi apud se Augustae Taurinorum aluit atque ad pietatem et ad litteras excoluit. Qui mitissimis moribus ac docili ingenio, omnium in se benevolentiam convertit. Atque ita, singularem diligentiam et moderationem professum, eum Pater sanctissima sua disciplina et consuetudine ad omnem virtutem peramanter instituit. Summo studio contendit, ne saeculi pravitas restinguere tantae virtutis igniculos posset, qui praeclarum religioni et patriae lumen pollicebantur. Latinas litteras adeo celeriter arripuit, ut vix dum annum duodecim natus, in Collegio *Mirabelli* ad Casale S. Evasii sapienter traderet. Namque pietatis et litterarum studio ita in exemplum omnibus eluxit, ut iam de se non spem daret, sed fiduciam.

Haud ita multo post Genuam missus, ut, quod pater Augustae Taurinorum instituit, et in civitate Ligurum capite adgredetur, unice Deo suffultus, civium pietate suffragante, ad S. Petri Arenarii receptum pueris exercendis tutandisque aperuit. Deinde, nullius infortunium a se alienum reputans, patris vestigiis insistens, atroci tempore, scholas alumnis sacerorum instituendis consilio et opere iuvit. Quum vel inter ipsa pericula inclaresceret, Massiliam petiti, ubi maxima rerum et hominum prudentia praeditus, multa fortiter et strenue gessit. Pius, et in adversis constans, atque in prosperis modestus, inopiae puerorum solator brevi in omni Gallia patris exemplar existens, omnium admirationem, ob spectatam virtutem, adeptus est.

Ob tot merita, suorum suffragiis, inter supremos Salesianorum consiliarios adlectus, summa diligentia rebus sacris praefuit. Quum benignitate et religione omnibus esset acceptus, et patris effigiem exprimeret, Michaëli Rua, Rectori primo

post Patrem, eum in Americam ut suum procuratorem mittere placuit, qui pectore candidus, multisque officiis, modestia, patriae caritate et in illis regionibus patris amplitudinem cumulavit. Ad haec varias illarum gentium linguas ita est assecutus, ut brevi et facile saepius haud illius gentis hospes, sed civis potius esse videretur. Doctis insuper et laboriosis editis volumibus nominis famam prorogavit.

Quae cum ita essent, haud mirum, si defuncto Michaële Rua, plurimorum suffragiis, adprobantibus omnibus, in eius locum suffectus est. Tunc eximii animi studio latissime locus patuit, et in universa familia regunda miram providentiam et sedulitatem exhibuit. Invicta enim fide si Petrum, ardenti religionis amore Paulum refert. Eo admittente, quod diuerat in paternis votis, mox sacram expeditionem paravit vel inter Sinas. Quid dicam de receptu, quem pueris inopia laborantibus Pineroli aperuit, quorum parentes in patrio bello sunt desiderati?

Eius consilio et virtute, in regione urbi Tauriniensium adiecta, cui est nomen a S. Paulo, aedicula pro pueris cum hortis adjunctis ad diversandum moribus et ludis tutandis exstructa est, quo diebus feriatis et festis in disciplinam convenienti, qui profestis adsiduo opere distinentur. Quo facto, cives et advenae opportunitatem Iubilaei eius sacerdotalis nacti, donis ultra missitatis ac votis, ei gratulantes atque precibus fusis per vicos, per urbes, amoris, obsequii, gloriae monumentum cum Salesianis conficiendum procurant. Consilium enim Eius, auctoritas, magnitudo animi summas patris virtutes aequarunt.

Quem Deus ut diu feliciterque incolument servet omnes nobiscum uno animo exoptant.

I. B. FRANCESIA.

Hisce omnibus libenter ALMA ROMA atque ex animo publice accedit; quae in

Paulo Albera habuit operis sui, quodcumque id est, fautorem et, apud Salesianorum praesertim familiam toto orbe diffusam, suasorem beneyolentissimum.

## COMMUNIA VITAE

### De lectulis eorumque per saecula varietate.

Vir quidam, lepidiore sane praeditus ingenio, quum post longos diei labores ad cubitum accederet, haec sibi passim iocose dicitur volutasse: « Curnam Danti Alighiero, fuit qui clarissimus vates, ubique gentium, iure quidem meritoque, monumenta eriguntur; et illi nec statua adest, qui primus in hominum commodum lectulum invexit? Quae, meo iudicio, maxima pectoris humani durities, et quod omnium populorum ingratii animi crimen! Quisnam vero fuit tanti beneficii inventor? Quis?... ». Haec quum secum ipse diceret, somno interceptus, placidissime quievit.

Dum iste tranquillissime dormit et dulce incipit vigilanti stertere naso, haud iniucundum esse puto, si eius verbis aliquod dare responsum tentabo. In primis enim animadveritas velim, neminem mortalibus unquam lectulorum usum tradidisse, sed naturam ipsam hominibus hac de re magistrum aptissimam fuisse. Ubienim primum Adam, queso, se se locavit, quum Dominus ei saporem immisit? Si pastor simplex *patulae sub tegmine fagi* foris recubans, malorum omnium oblitus, dulcem sibi quietem procurat, domi sub parvulo palearum stramento, dives cubile sibi cum foliis et herba, ut lepide scripsit Ovidius:

*Mixtaque cum foliis praebuit herba toro.*

Lectus, qui humilis omnino mortalibus a nativitate ad obitum tot beneficia assidue obfert, primum luxuriosus adstitit

apud populos Orientales, et prae ceteris apud Aegyptios. Culcita enim erat cum pulvinari, magno artificio contexta atque eximiis cooperta tapetibus.

Tres potissimum lectorum species recensentur. Altera equidem ad cubandum; altera ad prandium, tertia denique pro seculis. Homerus regales confessos lectulos exhibit tum convivales, tum mortuarios et multo artificio auro et ebore exornatos. Hisce vero carminibus poëta graphicè Graecorum morem descriptis, qui profussis sumptibus eo spectabant, ut lectos aere pretioso compositos celebresque Corinthias culcitas laudaret, Carthaginensium pulvinaria suaves odores spirantia cum stragulis milesiis ob oculos poneret.

Multa, more suo, Vergilius in immortali Carmine, quae ad historiam pertinent, praeverit, existimans facta quae modo in futurum exstiterunt. Sic enim, magna locuturus incipit in secundo cantu:

*Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto!*

Romani vero, ut omnes sciunt, toros in prandiis, vix multis post saeculis adhibuerunt.

Ne in hac re diutius morer, satis sit in medium ferre quid de lecto Thetidis Catullus scripsit. Hinc enim facile mente arguere potes quam elegantes essent, quam divites veterum lecti. En verba exquisitissima Catulli:

*Pulvinar vero divae geniale locatur  
Aedibus in mediis, indo quod dente politum  
Tincta tegit roseo conchylii purpura fuco.*

At Graecia capta ferum victorem cepit, et artes non modo intulit Latio agresti, sed et vitia; et pravi Orientalium mores rerumque splendor mirum in modum austera Romanorum naturam foedarunt.

Et Romanorum lecti pretiosiores subito haberi coepi sunt, atque in iis conficiendis res saepe cum arte certare videbatur; ebur et acer, cedrus, ebenum, argentum aurum-

que adhiberi, et gemmis decorari marginisque pulvinaria atque peristromata. Hi vero lecti elegantiores ac maxime elati e tribus lateribus occlusi per amplissimos gradus preebant aditum.

Adsunt in museis neapolitanis lecti, e Pompeiorum ruderibus effossi, qui, licet vetustate consumpti et modo leviter depravati, possunt tibi mente refecti ostendere quam commodi fuissent, quam venusti quamque Campaniae incolis aptissimi.

Approximante aevo, dicitur quod medium, beatiores, tranquillitatis causa, ex urbibus in villulas suas regressi, illuc omnem sibi necessariam supellectilem transtulerunt. Tunc iterum lectus ad transactos honores redit, atque in aedibus aptiorem locum obtinuit. Tribus potissimum partibus constabat. Prima *stratum* vocabatur; secunda *contignatio*, quae solo primum adhaerebat, mox ligneis clavibus ponebatur; tertia denique *peristroma*. Haec autem postrema, labentibus annis, velariis circumdata atque sericis telis, novum sane conclave efficiebat. Quae ornamentorum effusio atque industria, quam mira pictorum lumina atque sculptorum!

Nos Itali praesertim otiosorem aetatem nacti, et quum magna pictorum copia adsurgeret, mirum in modum hanc artis magnificentiam secuti, innumerabiles divitias in lectis modo conficiendis insumbamus. Complures tabulæ Veronensis et Tinctoreti nobis praecclare in exemplum eluent.

Ne autem natio nostra nimis otio proclivis in peius rueret, identidem carmina poëtarum exaudiebantur, qui cives nostros ad caelestia revocabant, monebantque ne pecudum ritu agitantes, vanis ingenii indulgerent, seque ab ignavo otio excuterent, gravissimis verbis. Sic Dantes Aligherius ne ingenio sui lascivirent, monet:

*Omai convien che tu ti spoltre  
.... chè seggendo in piuma  
In fama non si vien nè sotto coltre.*

Quinimo omnia in Italiam infortunia ab uno otio manarunt:

*La gola, il sonno, e l'oziose piume  
Hanno dal mondo ogni virtù bandita...*

Ac propterea, constantia opus esse atque fortitudine Italos addebat, ut ultricem Dei iram excuterent, quae tacitum eorum percutus pertentaret.

Ceterae nationes, in primis Galli atque Hispani, pravum hoc Italorum exemplum sunt breviter secuti, atque e suorum ingeniiorum studio atque celeritate lectos mutarunt, suoque nomine, eos regali vel imperiali condecorarunt: omnes maxime exornati erant ac voluptuos.

Quum Ludovicus XIV summas res obtinuisse, suumque nomen lectis indidisset, ne hoc malum privatorum ingenium in dies ingravesceret, lege prohibuit multisque gravibus comminatis, ne quisquam huiusmodi sibi lectos compararet.

Quae prava argenti aurique profusio, quae in omnibus elegantia!

In his autem memorandis, pro re nata et nullo prorsus studio in mentem reddit illud Persii:

*O curae! o hominum! o quantum est in rebus inane!*

Namque splendidissimus hic lectus, ad ambitionem regis omnino compositus, primum in eius obitu, omnibus admirantibus, invisitur, ibique eius exuviae moestissime exponuntur.

Eo defuncto, novissime cubilia instruuntur varia forma ornatunque diverso. Haud defuerunt, qui, grassante barbara ingeniorum peste, lectulos in navium speciem falso conficerent.

Ab huiuscemodi lectis, omni arte compotitis atque ornamentis, mutato hominum ingenio, usque ad recentiorum modum paulatim ruimus, ubi... heu! mille ac secure insecta omnium generum vivere consueverunt.

At, at, quae commoditas ac munditia in nostri saeculi lectulis! Haud tibi tume-

scit culcita aut pluma, neque adsunt picturæ vel alia ornamenta; sed sani sunt ac molles, et in primis mundi; quod quidem ad valetudinem servandam maxime confert. Est itaque mira nostris temporibus aemulatio. Namque quod antea erat in votis, ut quisque sibi lectum pretiosissimum curaret, nunc studium est maximum, ac veluti ambitio, ut humillimum nulloque pretio comparet.

Meminisse iuvabit.

Anno millesimo octingentesimo sexagesimo primo, ingemiscentibus Italos, florenti adhuc aetate, Augustae Taurinorum, fato improviso occubuit comes Camillus a Cavour, qui sublimitate ingenii atque ausu, ad rerum omnium gubernacula diu multum sederat. Quum ad eius aedes incomposita civium multitudo undique irrueret, ut ultimum clarissimum virum tam amare perditum salutaret atque pacem Superum eius animae adprecaretur, moerre perculta eum in modico lecto positum admirari, atque excelsi viri modestiam vel in morte post tot divitias et honores oculis vocibusque ad caelum tollere. Ita enim parentes nil innovatum voluere, et pro sua modestia vel defunctum in lecto posuerunt modico apparatu, ut omnibus rerum humanarum inanitatem vir praedicaret.

Hoc ergo erat in fatis, ut homines, magnificentiae vestis pertaesi, ad simplicia quaeque redirent, summoque studio excelerent.

SUBALPINUS.

*Cum quid sanctum agis bonam spem  
Tibi propone, certus quod  
Conatum iustum etiam Deus adiuvat.*

MENANDER.

*Duo quum idem faciunt, saepe possis dicere:  
Hoc licet impune facere huic, illi non licet:  
Non quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit.*

TERENTIUS, Adelph.

## ANNALES

## Europaeum bellum.

Belli ratio, quam Teutones in Gallia experiuntur, ea tandem aperte satis esse videtur, per subsequentes irruptiones progressus facere, huc illuc post occultum quo magis fieri possit apparatum, illatas. Itaque eventibus, quos in superiore fasciculo recensuimus, institutionis dies continuati sunt; deinde, sub Maii mensis finem, novus isque vehementissimus impetus a Germanis factus est inter Augustam Sues-sionum et Remos, a Craone oppido per Axonam flumen, quod inter Vailly atque Berry-au-Bac est transitum. In huius campi centro hostes deinde ad meridionales Vesle fluminis oras et in Loupeigne regione Gallos oppugnant, qui ad colles usque ea loca circumdantes recessunt, dum, Augusta urbe derelicta, in finibus Belleu-Septimons-Ambries et Chacoise sese constituunt, acerrime aggressoribus obsistentes. Quum scribimus certamen cruentissimum usque ad Oise expanditur et ad Matronam, quam Teutones ad meridiem La Fère oppidi assequuti sunt; iuxtaque fortasse iustum proelium renovabitur, quod ante tres annos pugnatum est, Teutonumque audaciam fregit, quemadmodum et nunc futurum speramus.

Interim Angli in Germanico oceano facinus obstruendi portus redintegrarunt, quod superiori mense felici exitu ad Ostendam et Zeebrugge patraverant; Italique in utroque castrorum suorum cornu, hinc in alpibus Zigolon Tonalensis regionis, inde ad Sile promontorium, notabiles successus reportarunt.

\*\*

Quid autem **de Russia** dicemus? Inordinata semper et incomposita omnia: novum Brest Litowsk in oppido foedus ictum

est, per quod a Russico gubernio Polonia infelix politicae Germanorum custodiae relinquitur; Turkestan provincia sese liberam edicit; dum Germani, civili bello perdurante, nec simulacro quidem cuiusvis auctoritatis solidaeque civitatis obversante, longe lateque in armis libere discurrunt, et classi ipsa in ponto Euxino collecta potiuntur.

\*\*

**Rumenica pax**, vel potius iugulatio, his legibus absoluta est: 1) exercitus dimissio, 2) militaris Teutonica occupatio sub specie publici ordinis tutandi, 3) Dobrugiae provinciae cessio finiumque emendatio in Bulgariae Hungariaeque favorem, 4) Danubianae navigationis usus pro Germania eiusque sociis, 5) Damnorum compensatio, per commeatuum praesertim requisitionem, a Germanis faciendam!...

\*\*

Inter tot tantaque omnium rerum vastationes et ruinas, paterna Supremi Pontificis **Benedicti XV vox** alte iterum sonat. Qui *Motu proprio* d. ix Maii MCMXVIII, quum revocasset, ex quo Pontificatus maximi onus ipsi fuit impositum, sese hanc seriem continuationemque rerum tristissimarum sine intermissione inspectantem, non solum omnium doloribus doluisse, ut vere posset illud Apostoli usurpare: «Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur et ego non uror?»; sed etiam de iis quae et conscientia admoneret officii sibi divinitus attributi et Iesu Christi caritas suaderet, nihil unquam, quod posset, intentatum reliquisse; quumque reperteret sese omnem sollicitudinem proicere in Eum, cuius in arbitrio sunt hominum voluntates eventusque rerum; ab Ipso qui «castigando sanat et ignoscendo conservat», illud sese expectare profitetur, ut misericors tantis aerumnis celeriter finem

faciat, rebusque sua pace compositis, regnum in hominibus iustitiae caritatisque restituat.

«Sed primum omnium, - pergit - iratus tam late diffusa contumacia peccandi, plancandus Deus; idque prece humili ac supplici, quam scimus plurimum posse ad impetrandum, si quidem confidenter et perseveranter fiat. Iamvero ad divinam maiestatem propitiandam nihil plus valet quam sacrosanctum Eucharistiae sacrificium...; ac recte Ecclesia animarum pastoribus legum constituit certis diebus *pro populo* eorum curis concredito sacram faciendi, quibus praesertim diebus piissima mater divinam clementiam suorum filiorum necessitatibus vult conciliari». Quoniam autem «rerum omnium quibus haec tempora indigent, ea est summa, ut rurus concordia et tranquillitate potiatur humana societas», Patri pientissimo visum est opportunum maxime, sacris pastoribus universis suadere ut divinum sacrificium die xxix huius mensis Iunii, natali Sanctorum Apostotorum Petri et Pauli, «qui populi christiani praesidia sunt et firma-menta» in eam causam secum offerant.

Faxit utique Omnipotens ut, quemadmodum ex animo ominatur Pontifex, toto catholicorum sacerdotum ordine, in quavis ora ac parte terrarum, una simul cum Eo sacrificante, maior adsit spes a divina bonitate impetrandi, ut illud tandem efficiatur, quod cuique est optatissimum: *Iustitia et pax osculatae sunt!*

Kalendas Iunii MCMXVIII.

POPLICOLA.

*Ea magna voluptas est aequalem ac parem verbis vitam agere, atque ita vivere, ut omnis oratio moribus consonet.*

CICERO.

*Plus in negotiis gerendis res, quam verba prouident.*

CICERO, Acad., IV.

## VACUI TEMPORIS HORA

Iam tempus adventat, quum discipulis **studiorum** suorum **periculum** est subeundum; mentem ne, lectores mei humanissimi, unquam advertistis in trepidas anxietates, quibus inde tot familiae opprimuntur? Pueri tum et adolescentuli, qui genio indulgentes laetos huc usque dies egerunt, morbosa quadam studii phrenesi ex improviso agitati videntur: coacervatim convenient, integras noctes vigilias agunt, textus fasciculosque heluantur, domi manent diu diutiusque, cibis ipsis interdum valedicunt, quandoque etiam languent, aegrescantur.

Atqui huiusmodi notionum inter se dissimilium indigesta, ut ita dicam, ingurgitatio, haud ferme optima exstat ratio verae firmaeque culturae; attamen necessaria omnino evadit negligentibus discipulis, ut *examinis* discrimini occurrant feliciter, sibique beata feriarum otia comparent. Quis autem incommoda familiarisque ordinis perturbationes inde manantia adnumerarit? Adolescentes tum domini, quin imo familie tyranni fiunt: domestici usus immutandi sunt, ipsaeque alimentorum horae invertendae; abire, demigrare etiam ab aliqua parte aedium oportet, ne transitus aut rumor quivis a novissimo incepto iuvenem in studio defixum avertat; patresque matresque ne audent quidem moderatricem auctoritatem suam interponere. Ita genus hoc scholasticae procellae omnes domi perferre debent, sollicito animo computantes quot dies fuerit duratura, eoque magis tenerae matres, trepidantes de ultima martyrum suorum sorte. Eheu! si scientiae illae arcae corruant, si parvi illi oratores decident!...

Terribiles huius generis cogitationes calida tum consilia miraque artificia concitant, ut alterum alterumve magistrum, illum praesertim qui iniuria magis in liberos per annum saevit, hanc asperitatem nihil meritos paren-

tes adeant, quo eius iras, rationis omnino expertes, temperent, cor durum mulceant, auctoritatemque aliquam, si necesse fiat, etiam interponant, quae renuentem integritatem frangat. Bellum ludicum hoc e longinquo prudens ludimaster advertit, imo, fere dicam, in aëre per hanc tempestatem olfacit; estque odor tam acutus, ut eius nervos valitudine nonnunquam afficiat animumque percutiat ad colligendum .... ex adverso, ab iis quae faciunt, ea quae efficiuntur.

O infelices magistri! quot nugas, quot gerras; quanta insulsa atque inficeta proxime audietis; quae, velitis nolitis, omnino vos frangent!

Memini legisse me, litterarum italicarum quemdam professorem puellam quandam periculum apud se facientem interrogasse circa Leopardianum carmen, quod inscribitur « Sabatti dies in oppido », quid phrasis significare vellet, quae latine reddi potest: « (sedere) eo loco coram, ubi perditur dies », nempe occidentem versus. Tacere discipulam; magistrum instare: — « Ecquid? Impossibile utique est nescire te quem locum hisce verbis poëtam per periphrasim indicare voluisse. Agendum; ubi perditur dies?

Tum puella:

— In caffearia taberna!

Magister alter discipulum rogavit de fluminibus:

— Quid est in fluminibus adnotandum?  
— Orae et... alvearium!

In schola quadam ordinis secundi quaeritur pariter de geographia adulescens:

— Quo Tagus flumen influit?  
— In Atlanticum — respondet ille; additum que statim: — sed etiam in Mediterraneum.

In historico sui periculo, iuvenis quidam celeriter de Pelasgis recitat:

— Pelasgi piraticam facere solebant...  
— Scilicet?...  
— Piraticis navibus in mari utebantur.  
— At quid intelligis per piraticarum navium usum?  
— Pyrospharum, hercle!

Haec, quae ad infinitum protrahere licet, tam vera sunt, ut dicere prope possim: testis ego, *quorum pars magna fui*; satisque hodie mihi videntur, etiam pro Tuccii nostri, aliorumque, quos afferre solemus singulis mensibus **locis**.

\*  
\*\*

### Aenigmata

#### I

Assolet *anterior* semper deposcere causas;  
Utilis atque *alter*, vel lutulentus, erit.  
Si *caput* inde mihi, lector, tu demere velles,  
Exoritur facies horrida quadrupedis.  
Denique si dira et segni cruciare podagra,  
Nequidquam tentes; non tibi *totus* erit.

#### II

Aërem agit *totum*; *caput* eripe, basiat: eius  
Caede etiam *pectus*, sanguine tingit hu[mum].

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Ovum*; 2] *Senex*, *Nex*.)

IOSFOR.

### AMICIS

*iterum iterumque commendamus, velint labori nostro socios novos comparare. His extraordinariam subnotationem offerimus, quam ex speciminis gratia dicemus, libell. 4 in Italia; libell. 5 (franc. 5, doll. 1, shell. 4, peset. 5) apud exteras gentes, eritque a die subscriptionis ad mensem Decembrem MCMXVIII inclusive.*

*Eia igitur, conatibus nostris, alto consilio respondentibus, favete!*

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. — TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO

SINGULIS M